



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Sollicitudo in vniuscuiusque præparatione spirituali. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

blicæ valetudinis causa, operam dabunt, vt diligentem eius cautionem, studiaque imitentur ad Episcopalem regularum præscriptum.

4 Parochi etiam, ceterique Ecclesiastici homines id vnum quoque maximè studebunt, vt publicam valetudinem omni charitatis officio curent, ac præterea in executionis vsum accuratissimè perducant quæcumque non solum hac instructione explicata sunt; sed quæ Episcopus hoc ipso de genere, prout opportuna viderit, publicæ salutis causa statuerit, & quæ item præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus, aliusuè visitator monuerit, mandaturuè: immo etiam si Clericalis ordinis homines sunt, qui intrâ alicuius Parochiæ fines habitant, illa quoque seruabunt, quæcumque vel ex hac instructione, vel ex Episcopi voluntate, vel alia iusta ratione Parochus commune fecerit.

Quæ præterea à magistratibus Decurionibusuè ad eam publicæ incolumitatis rationem piè, ac vtiliter constituentur, eadem, vt à populo planè seruentur, omni cohortationis officio monebunt.

5 Magistratus autem, & decuriones, vt eidem publicæ valetudini prospiciatur, & consulatur, cum omnia sapienter Christianæque pietati congruenter agent, tum valdè cauebunt, quæ diuino cultui, & caritatis officijs cum impedimentum afferre possint, illa maximè fugienda, suo loco infra demonstramus, ac vehementer in Domino monemus.

Sollicitudo in vniuscuiusque præparatione spirituali.
Cap. IX.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopi sollicitudo in confirmationis sacramento ministrando.
- 2 In generali peccatorum confessione agenda.
- 3 In sacramentorum penitentiæ, & Eucharistiæ frequentatione.
- 4 In hortando ad pietatis operum exercitationem.
In suadendo, vt res alienum dissoluatur.
Vt lites componantur.
- 5 Vt testamenta conscribantur.
Vt res domesticæ, ante mortem, explicentur.
Præfectorum Regionariorum.
Vicariorum foraneorum.
- 6 Visitatorum.
Parochorum.
Præfectorum Collegijs, & Confraternitatibus.

} sollicitudo eadem,
que supra Episcopo præscripta.

B

Sol-



1 **S**ollicitus prætereà in eo Episcopus erit, vt immi-
nenti illo pestis periculo, confirmationis sacra-
mentum, quibus per ætatem, ex doctrina Ro-
mani Cathedismi ministrandum est, vbique
ministret; cum illi, si pestis irruet, in eo stau fu-
turi sint, vt periculum mortis non modo in sin-
gulas horas, sed in singula momēta pertimescāt.

2 Id etiam sedulo curabit, vt suę quisque conscientie latebris dili-
gentissimè discussis, omnis antè actę vitę peccata confiteatur.

3 Tum etiam, vt ad tam salutare pœnitentię sacramentum omnis
frequentè accedat; ita vt cum quis se peccati mortalis labe inquinatum
esse conscius erit eo sacramento illud expiare quàm primùm stu-
deat: nec verò ad extremum differat, cum non modo suspicari sed
certè omninò timere possit, ac debeat, si pestis Dei permisso irruerit,
illo pestilentitēpore maxima cum difficultate sibi præstò fore subsidia
tam corporis, quàm animę.

Itidem ad frequentem sanctissimæ Eucharistię vsum fideles omni
studio accendet; & vt saltem semel in hebdomada illam sumant.

4 Ad ea, quibus Dei iram placari, eiusque misericordiam implorari
compertum est, pietatis opera, præsertim ad assiduam orationem, ad
ieiunium, ad eleemosynam crebrò hortetur. Ad cuius largitiones vbe-
riores populum fidelem valde etiam incendet, illud singulare exem-
plum Ethnicorum, qui euangelicę lucis expertes, cum in grauissi-
mam pestem olim inciderint, opinione persuasi, eam sibi calamitatem
inlicitam esse, quòd nullum pietatis studium, nullumque beneficentię,
liberalitatisque officium egenibus hominibus contulerint, ad eā pro-
pulsandam id Cōsiliij, adhibuerunt, vt eorum domus, officinę, tabernę,
indigentibus, ac pauperibus paterent, qui inde res, quas propterea pa-
lam omnibus exposuerant, ad vitę vsum necessarias, gratis, liberęque
sumerent.

5 Ab omnibus, eo pestis imminentis periculo proposito, domui suę
disponi, & consuli suadebit, vt scilicet vnusquisque æs alienum, si quod
contraxit, rectè dissoluat, nomina quæcumque explicet; lites compo-
nat, transigat: testamentum conficiat; nec denique res domesticas
contractas, difficultatibusq; implicatas relinquat; nè fortasse, si mors,
vt in pestilentia euenire solet, continuo oppresserit, sibi, liberis, bonif-
que suis rectè consulere minus possit: indeque propterea vel litium,
discordiarum uè inter filios, agnatos uè femina, vel æris alieni soluendi
difficultates, tar diore suę solutiones, vel controuersię alię, & quod gra-
ue est, spiritualia incommoda existant, quę animę saluti detrimen-
tum, perniciem uè afferant.

Hæc

6 Hæc eadē sanē omnia, & singula officia, in regione sibi commissa, & præfecti regionarij, & Vicarij foranei, & Visitatores, & Parochi in Parochiali vicinia ex Episcopi instructione, & præscripto pro suo quisque munere præstare, atque exequi studebunt.

Hæc itidem ipsa pro sui muneris partibus cū in collegijs, confraternitatibusque præfecti, tū in ædibus priuatis curabunt diligētī studio, omnique caritatis contentione.

Præparatio adiumentorum spiritualium peste imminente.

Cap. X.

S V M M A R I V M.

- 1 Confessariorum.
 2 Concionatorum.
 3 Sacerdotum. 3.
 4 Visitorum.
 5 Indulgentiarum à Summo Pontifice procuratio, & pro quibus.
 6 Librorum spiritualium delectus.
 7 Facultatum à Summo Pont. impetratio, & quarum.
 8 A Metropolitano item; & quibus illæ concedendæ.

Præparatio, & deputatio, curante Episcopo.

1 **E**piscopus verò omnia adiumenta, antequam pestis populum inuadat, diligenter conquirat, & parare studeat, quibus fiat, vt, si pestis ingrueret, nè quid illis populis, quos inuaserit, desit; neque ad animæ salutem, neque ad corporis medicamentum victum, & curam.

Confessarios, concionatoresque quorum ministerio, operam necessario eo tēpore adiuueat, aliūde, vt diligētissimè potest, ad se accersere, & cōducere, tū ad urbem, tū ad Diœcesis oppida, & loca præsertim insigniora curabit.

2 Ac præter Parochorū curā, certos etiā alios Sacerdotes vndique, quantum poterit, omni pietatis officio cōquiret, qui caritatis ardore inflammati, paratissimi sint ad omnia Ecclesiastica ministeria illis præstanda, quos, vel pestis morbus, vel suspicio inuaserit.

Iis, & concionatoribus, & confessorijs, & alijs Sacerdotibus necessaria alimenta, vt subministrentur, omni ratione curabit.

3 Alios præterea Clericalis ordinis homines, caritatis studio flagran-